



Kern 253 (1-20)

20

D E

PESSCATORISS

EORVMQVE

SALVBRI ET NOXIO VSV

I N

MEDENDIS MORBIS

CONSENSV

INCLITI MEDICORVM ORDINIS

IN REGIA FRIDERICIANA

PROO GRADVY DOCTORIS

SVMMISQUE IN MEDICINA HONORIBVS

AC PRIVLEGIIS

SOLEMNI RITV IMPETRANDIS

DB. XXVI. NOV. CIOICCLXXXV.

PUBLICE DISPVTABIT

PHILIPPVS LVDOVICVS VSENBENZ,

V L M A - S V E V V S .

H ALAE SAXONVM

S TANNIS FRIDERICI AVGVSTI GRVNERT.



ДЕЛАНИЯ

ВЕЛИКОИ ГОСУДАРСТВЕННОЙ

СОВЕТСКОЙ

МИНИСТЕРСТВО ПО ИЗДАНИЮ КНИГ

ИМ ПРЕДСТАВЛЯЕМЫХ ВЪ

СОВЕТСКОЙ ГОСУДАРСТВЕННОЙ


INCLITAE AC LIBERAE
S. ROMANI IMPERII
REIPUBLICAE VLMENSIS
P R O C E R I B V S
PERILLVSTIBVS, GENEROSISSIMIS, MAGNIFICIS,
PRAENOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS
DOM. DOM. DOM.
D V V M - V I R I S
CONSVLIBVS
SANCTIORIS CONCILII
A D S E S S O R I B V S
CAETERISQVE ORDINIS SENATORII
MEMBRIS
SALVTIS PUBLICAE
S T A T O R I B V S
IMAGINVM VETVSTATE
MERITORVM IN PATRIAM SPLENDORE
MVNERVM, QVAE EXORNANT, AMPLITVDINE
SVMME MAXIMEQVE
C O N S P I C V I S I



PATRIAE PATRIBVS
VIGILANTISSIMIS
DOMINIS
PERQVAM GRATIOSIS
PATRONIS
ET STVDIORVM
PROMOTORIBVS
VITAM ET REGIMINIS FELICITATEM
A DIVINO NVMLINE PRECANS
HANC
IN AVGVRALEM DISSERTATIONEM
QVAM
PATRIAEC AMOR ET VERITATIS STVDIVM
SVASIT
VETERVM CLIENTVM MORE
OBSEQVII OFFICIIQVE CAVSA
TIE AC DEMISSE
OFFERT
TANTORVM NOMINVM

CVLTOR DEVOTISSIMVS
PHILIPPVS LUDOVICVS VSENBENZ.





PROOEMIVM.

§. I.

 Simplex viuendi ratio, alimenta naturae humanae magis appropriata, corpus a prima iuuentute rite exercitatum et plura alia nostris temporibus deficiencia nobis rationem suppeditant, cur pri-
mi mundi incolae et omnes, qui nunc quoque vitam simplicem viuunt, aegritudinibus non ita obnoxii fuerint. Obortae hac ratione aegritudines hinc etiam sua sponte saepius euanuerunt per vires corpori proprias dissipatae, vel per remedia ope natu-
ralis instinctus quaefita, vel per tentata tandem fortuito casu iu-
uancia et ab animalibus nonnunquam inuenta remedia ita subla-
tae fuerunt, ut aegroti semel iterumque vel leuamen concipe-
rent vel ipsam recuperarent sanitatem. Quo magis autem vita

A 3 mollis

mollis atque delicata, luxus et commercium inter homines in crescabant, eo magis quoque multiplicabantur aegritudines, ita ut non modo periculosiores intrarent, sed et cum aliis antea ignotis nunc autem e diuersis prouinciis, regionibus atque terris nouis ad nos translatis aegritudinibus fese aut complicarentur aut solae humanum genus vexarent ^{a)}). Hinc medici tam antiqui, quam recentiores semper eo allaborarunt, vt curationes diuersae tam internae quam externae non tantum corrigerentur, sed et successu stabili atque salubri corpori humano simul applicarentur.

§. II.

Inter numerum autem medicamentorum, quae cum internis externe etiam corpori humano visu fructuque applicari possunt, infimum locum minime habere mereantur ^{b)}), *Epispastica* seu *Attrahentia et Vesicatoria* de quibus hic praesertim sermo erit.

§. III.

Dicitur autem *Vesicatorium* seu *Vesicans* illud remedicum, quod partibus corporis humani externis applicatum epidermidem ita eleuat, vt vesiculam sero lymphae intus contentam refert

a) Quis est, qui ignoret historiam variolarum. (Cf. BEERHAVII Aphor. §. 1440. p. 489.). Pestis britannicae, (Cf. HARTMANNI Diss. de Sudore vnius lateris).

b) Nonnulli medici aliam asserunt divisionem, in Irritantia nempe simpliciter dicta, Rubefacientia, Vesica-

toria, Caustica, quae iterum dividunt in *exaggerina* et *curativa*, Attrahentia seu Epispastica, quae iterum dividunt in Deriuantia et Reuelentia, quibus aliis addunt verticationes, fuscificationes, fanticules, setaceas scarifications, fistiones seu cauteria actualia, nec male secundum aliorum sententiam electricas concussiones.

fert^c). Omnia ista quidem corpora, quae externe corpori humano applicata partes solidas irritant, vellicant, plus minus ve humores ad epidermidem alliciunt, calorem dolorem, ruborem, quin eleuationem cutis et vesiculam sero lymphae turgidam producunt, Vesicantia denominari possunt, sed illa iam et suas obtinuerunt denominationes, et alias sunt materiae.

§. IV.

Materies enim Vesicatoria suppeditans sunt Cantharides^d in pulverem tritae panis fermento vel emplastro idoneo super alutam congruae magnitudinis extendendo exceptae. Per quaenam autem principia effectus suos exferant cantharides, multum a medicis disputatur. Alii aculeatis particulis seu spiculis, quibus pollut insecta, quaeque etiam oculo armato^e conspicere possunt; alii sali volatili suos effectus adscribunt. Haec autem infecta vi deleteria esse praedita certius est, quam vulgo putatur. Operae igitur praetium erit, accuratius inquirere, quomodo in nostrum corpus agant. Primo autem norandum est, errasse Hippocratem eosque, qui eum sunt secuti, quum cantharides praescribentes alas pedes et caput abiici iubent, ut tutius adhi-

bean-

^c) SCHÖNER MARCK Diff. de fontieulis eorumque effectibus. Halsae 1781. §. 17. n. I. CALLISENIVS Instit. chirurg. hodiern. §. 109, p. 30.

^d) Sunt infecta corpore oblongo, toto viridi, aureo, capite duabus antennis nigris instructo, elithris viridis, flexibilibus multis striis distin-
ctis et aliis fuscis praedita. (Cf. SPIEL-

MANNI Mat. Med. pag. 489.). et recenter collecta odore valde iniucunda et sapore acerrima, quin ignea. (Cf. LÖSCKE Mat. Med. p. 270.)

^e) BORRICHIVS Acta Med. Haf. Vol. IV. p. 185. et Vol. V. pag. 216. integrum cantharidem microscopio sub-
iecit, et totum eius corpusculum mille spiculis praeditum vidit.



beantur. Omnis enīm haec praecautione notante LUDWIG^{f)} ac
ETTMILLERO^{g)} inanis est. Recte inter alios et VOGEL^{h)}
notauit, roti infecto vim acrem et vrentem inesse, quā, vbi aut
intus assūmitur aut cuti applicatur, homini noxiū fieri potest.
Cui autem principio haec vis in ipsis cantharidibus ad scribenda
est? BORRICHIVSⁱ⁾ cum insecta spiculis praedita oculo armato
videbat, conclusit mediantibus spiculis eosdem effectus ut folia
vrticae efficere. Idem CLOSSIVS^{k)} statuisse videtur, confiden-
ter scribens. „Actio cantharidum neūquam est physica, sed
„mere mechanica.“ Bene autem iam WEDELIVS^{l)} notat, can-
thrides non agere propter aculeatas partes, quia tritu et mix-
tione cum viscidis, rotundis, oleosis pereunte figura, nihilo mi-
nus id praestant, quod possunt. Atque Hl. SYDENHAMVS^{m)}
„si dicatur, inquit, haec insecta minimis particulis scatere, quae
„rigidae et acutae, calore corporis, cui adherent, motae, tener-
„rima vascula discindant, quomodo explicabitur, quare eadem
„particulae in viuente hoc animalculo per tenerrima vase mota il-
„la non destruant.“

§. V.

Cantharidum ergo substantiae sal volatile subtilissimum acre,
rodens causticum, sui generis in esse, nemo facile negabit,
quamuis, num in gummosa an resinosa parte, sal illud causticum
vere resideat, aegre definiri possit, ut multo labore chemico, et
ope-

f) Pharmacia moderno seculo appl.

g) Comment. ad hanc pharmaciā
de diureticis animalibus.

h) Mat. Med. p. 340.

i) I. c.

k) Noua methodus curandi vario-
las pag. 26.

l) Amenit. Mat. Med. pag. 384.

m) Comment. T. II. ad §. 603.
pag. 112.

9

operosis experimentis, quae cum productis cantharidum chemi-
cis in canibus institutis, nihil certe definire potuit cl. FORSTENⁿ⁾.
Licut enim BORRICHIVS^{o)} spicularum actioni mechanicae plu-
rimum tribuat, alienum tamen forsitan esse dicit, nam ex vncia
cantharidum drachmam olii acris et drachmam semissim salis
volatilis obtinuit. Charas sal acre alcalinum volatile invenit, qua
ratione etiam acetum vim earum acrem moderare debet. Sum-
mam volatilitatem in partibus vrentibus, quibus vesicanti virtus
ineft, obseruauit VERRATI^{p)}. Sunt etiam alii, qui sal earum
acidum habeant, alii qui pro vrinoso declarant^{q)}. At vero nec
a spiritu nitri et aceto destillato, nec a spiritu cornu cerui et sa-
lis ammoniaci ullam effervescentiam cum puluere cantharidum
obseruare potuit VERRATI^{r)}. Nulla interim ampliore inqui-
sitione chemica opus, sufficit nobis sal cantharidum singulare age-
re in nostrum corpus suo specifico stimulo.

§. VI.

Dum autem Vesicatorium corpori humano applicatur, du-
plices producit actiones, *internas* nempe et *externas*. *Externae*
ita se habent, sal acre subtilissimum et causticum a calore natura-
li et humore perspirabili euoluitur, soluitur et extricatur, per po-
ros epidermidis penetrat et papillulas nerueas et vascula sub cuta-
nea vellicat, irritat humores ad epidermidem alliciat, calorem
dolorem, ruborem, eleuationem cutis inſtar vesiculae (§. III.) fe-
ro lymphae turgidam producit quae vesicula vel arte incisa vel

sponte

n) Cf. e'us Disq. med. canthar. hi-
stor. ear. nat. chem. et med. exh. Ar-
gent. 1775. 8. ed.

o) l. m. c.

p) Comment. Bononiens. T. II.
Part. II. p. 113. 114.

q) SPIELMANN Mat. med. p. 490.

r) l. c. Tom. II. P. II. p. 115.

B



sponte disrupta humorem contentum effundit, et ipsam subiectam cutim denudatam relinquit, et eidem corporis loco iterum iterumque applicatum vesicatorium perpetuam reddit irritacionem et viceris artificialis speciem creat^{s)}. Recte igitur cantharidibus vis inflammatoria tribui potest^{t)}; optime quoque notat II. van SWIETEN^{u)} has nonnunquam, si nimis diu relinquuntur applicatae, exulcerationes producere valere, quin obseruatum est, aliquando gangraenam induxit.

§. VII.

Si ad id, quod oculis in applicatione vesicatoriorum expostum soli attendere et in hoc subsistere et quidquid a vesicatoriis euenit ab una seri aut lymphae euacuatione deriuare vellemus, cuius quantitas nonnunquam vix ad pondus vnciae vnius assurgit, multum deciperemur, Totum enim sistema neruorum et vasorum simul corripitur, quare si subtilitatem, volatilitatem et acrimoniam salis cantharidum perpendamus. simulque sistema vasorum resorbentium cum illis consideremus, facilime cantharidum actiones internas intelligere poterimus. Consentientem etiam mecum habeo WILLISIVM^{v)}. „Latex, ait, serofus,
„qui a vellicatis, excisis, vasis vertim exspuitur, particulas acres
„medicamenti inbibens, haud semper eas toras cadem, qua in-
„gressae sunt, via egerit, verum aculeis hisce imbutis in massam
„sanguineam regurgitat et deinde cum eo circulatur.„

§. VIII.

^{s)} CALLISEN Institut. chirurg. ho-
dier. §. LX. p. 31.

^{t)} HOFFMAN. Med. Synt. T. II. p. 281.

^{u)} Comment. II. ad §. 603,

^{v)} Pharm. Rat. II. p. 224.

§. VIII.

Requiritur ergo grauis attentio in applicatione vesicato-
riorum. Respiciendum enim est ad subiectum, sexum, aetatem,
irritabilitatem et sensibilitatem, qualitatem, quantitatem et mo-
tum humorum, aegritudinem, stadium eius, anni tempestatem,
receptivitatem, idiosyncrasiam ^{w)} etc.

§. IX.

Commedus autem, in quo excitari vesicula debet, locus,
eligitur pro diuersitate finis medentis. Membra visitata sunt ex-
tremitates, scapuleum, minus visitata caput, ceruix, thorax,
abdomen etc. In genere notamus, scopo deriuandi, euacuan-
di, sedandi; quantum fieri potest, locum eligi affecto prox-
imum, licet quidam sint, qui hoc reiiciant.

§. X.

In applicandis vesicatoriis haec attendantur. Supra epider-
midem extenditur vesicatorium et diuersis locis, qui antea bene
aut sola manu aut aceto fricentur ad vesicas excitandas ut pluri-
mum spatium duo decim horarum imponitur. Delapsò autem
spatio vesicatorium lente est detrahendum et vesicula si adest et
non rupta per artem dissecanda ac epidermis, ut nonnulli volunt
vesiculam formans totaliter abscondenda, et cutis nunc denudata
ob aeris accessum et doloris est deliganda; quando autem ves-
cotorium in hoc tempore a nobis addito non produxisset suos

B 2

esse.

w) Sic iuueni 15 annorum ophthalmia scrophulosa laboranti vesicatorium magna cantharidum et hydropiperis quantitate mixtum sine vilo effectu

applicatum fuisse scio, licet, spatium 72 annorum inter scapuleum intactum manserit,

effectus, in eodem loco seu priori proximo de nouo ad mouendum erit vesicatorium *).

§. XI.

Cantharides tali modo nunc, vt §. ant. dixi, externae applicatae, satis actuosa in sanguinem agunt et circulationem eius augent. Sequitur igitur, vt conducant, vbi generali stimulo ad sanguinis circulationem augendam opus est, vt in febribus putridis, vbi tanta nonnunquam est prostratio, vt validissimis excitandibus opussit; hic illud stadium tertium febris carcerum pertinet, quod Pringle ^{y)} descripsit, quo usum vesicatoriorum commendat, et quo cum etiam HVXHAM consentit, dum inquit, „Quando solida torpent, circulatio languescit, spiritus sunt effoeuti, et comate corripitur aeger, tunc vesicatoria sunt applicanda „et utilitatem praestant eximiam, quocumque febris tempore talis symptomatum series accedit ^{z)}. „ Sic etiam nonnunquam in febribus contagiosis, vbi mala constitutio non est, et gradus putredinis non magnus deprehenditur, contagium ad cutem determinare possunt ^{a)}, tamen hic summa cum prudentia adhibenda sunt et eorum loco saltim epispasticum ex sinapismis etc. consulerem. In vigore autem febrium putridarum, praesertim vbi contagii suspicio non est, non conueniunt vesicatoria, quia tam humorum

* Sunt, qui vesicatorium antea iam usitatum iterum adhibeant, et modo cum puluere cantharidum spergant, dannandi autem et monendi sunt, mala enim periculissima, vt dysuria, stranguria, mihius cruentus pluraque alia exorta fuisse obseruarunt eruditissimi practici.

y) Observ. on the diseases of the army.

z) Cf. GVARIN Method. febr. med. p. 54. SARCOME Geschichte der Krankheiten zu Neapel Tom. III. pag. 215.

a) Cf. LYD WIG Adv. V, I. P. I. p. 60.

morum resolutionem promovent, quam circulationem eorum quae nunc non nihil est infringenda, adaugent b), nisi materia morbi ad viscus nobile esset deposita, quo in casu vesicatoria omnino magnum producere possunt auxilium. Notandum autem est, quod locus, cui impositum fuit vesicatorium, sphacelos plerumque euadit, quem sphacelum tamen et eius progressum omnino congruis remedii praevenire possumus.

§. XII.

In febris autem inflammatoris ratione applicationis vesicatoriorum magnus est dissensus medicorum, partim quia canthrides neruos vehementer irritant, partim quia circulum humorum promouent et hinc febrem iam praesentem augent. Si autem febrem eiusdemque gradum, sedem inflammationis, durationem et stadium rite perpendamus, intelligere nequeo, cur vesicatoria adhiberi non debeant. Sic commendat eorum usum ante variolarum eruptionem praeter alios Cotunnius c) et Brunning d); in morbillis eximie ista laudat cl. SELLE e) „Communne, ait, symptoma huius morbi est peripneumonia, quae facile incidit, nisi ei venaesectione atque vesicatoriis summa cura occurratur.“ PRINGLE f) vesicatoria in hepatide loco affecto applicata eximio fructu in usum traxit. In peripneumonia commendat SARCONE g) vesicatoria ad latus affectum applicata, et cl. SELLE h) pone aures applicare iubet, cuius commendatio etiam

B 3

legi

b) Cf. TISSOT de febr. bil. p. 50.
GLOSSIVS Comment. de febr. pag. 163. — HVXBAM I, c. T. II, p. 113.
c) De Sede variolar. Syntag. pag. 129,

d) Constit. epid. effend. p. 61.
e) Pyretholog. p. 155.
f) I. c. p. 146.
g) I. c. p. 199.
h) I. c. p. 123.

legi potest apud B O R D E V ⁱ⁾). Inprimis etiam illo stadio peripneumoniae vesicatoria maximo visu sunt, in quo aeger reconuascere videtur. Saepius enim respiratio melior obseruatur, status inflammatorius mitior, aeger leuior se habere dicit, tamenque aeger, si non satis attentus fuerit medicus, diem supremum catarrho suffocatio subito obiuerit, quod ex principiis pathologicis, praegressam partis inflammationem semper sequi proportionatam eius relaxationem, facililime intelligi potest. Peracta felici solutione et rite succedente expeloratione periculum quidem non magnum, tamen omnis attentio necessaria est. Perdurat febris vel exacerbatur de nouo tunc res est valde momentosa; dum autem supprimitur expectoratio, summum adest periculum et vesicatoria optimum hic suppeditabunt nobis auxilium. Et quid dicam de peripneumonia notha, quae, licet status inflammatorius, praesertim illis in subiectis, quae pulmonibus iam debilitatis et tenuibus humoribus pollut, leuior, febris multo mitior sit; nonnunquam catarrhum mentitur et hinc saepius tam ab aegris ipsis, quam medico negligitur, teste etiam Ill. BOERHAVIO ^{k)} in pessimum et improposito saepe laethalem morbum abit et malum curatu difficultimum sistit ^{l)}; Quis est, qui vesicatoria omitteret; Ill. BOERHAVIVS ipse ^{m)} larga vesicatoria commendauit. Idem dissensus respectu vesicantium locum quoque habet apud medicos in pleuriti de. Alii enima reiiciunt illa, alii tanquam specificum fere antipleuriticum parti affectae admota extollunt. Priores autem reiiciunt vesicatoria, partem obfrem,

i) Vom schleimichter Gewebe pag.

l) I. c. §. 868.

169.

k) Aphor. §. 867.

m) I. c. §. 873i

brem, quam illa augerent, partim ob dolorem, quem exacerbarentur. Pulsus elasticus, tensus, durus signum pathognomonicum multis est; „Si vis cognoscere pleuritidem ait **BAGLIVIUS**^{a)}, praecipuam curam in natura pulsus cognoscenda reponito, pulsus durities est signum sere infallibile omnium pleuritidum, si duritatem, id est, nimiam arteriae tensionem et vibrationem deprehendas, pro certo habeas, patientem laborare pleuritide, et hinc vibratio arteriarum sua actione magis intendi, et augeri, quam emendari debet.“ Quis autem est, qui ignoret, pulsus duritatem et celeritatem post vesicatoriorum applicationem diminuit?^{b)} Praesertim etiam intuitu doloris reiiciunt nonnulli medici visicatoria et magis emollientia vsu esse asserunt. Sic **BOERHAVIUS** p). „Si vis, inquit, liberare locum dolentem, fac, vt fiat laxus. Per totum igitur pleuritidis decursum fomentationes toti thoraci admouendas vult, vt a vasis resorbentibus vapores emollientes imbibantur. Van **SWIETEN** ^{c)} emollientibus fomentis mediantibus pannis laneis applicatis virutur. **BAGLIVIUS**^{d)} monuit, totam curandae rationem pleuritidis aliasrumque inflammationum consistere in procuranda debita laxitate partis inflammatae per debita remedia. **HUXHAM**^{e)} partem affectam decocto ex femine lini etc. cum aqua et lacte foueri iubet; dolorem inflammatorum semper a fibris nimium tensis ortum habere affirmans, quem fomentationes emollientes, illas relaxando,

a) Oper. p. 33.

b) **MEDICVS** Sammlungen seiner Schriften Th. 2. S. 462. — **HOMME** medicinische Beobachtungen und Verf. fücke S. 4.

p) In Comment. propr. ad §. 228.

q) In Comment. III. p. 43 et 44.

r) Opp. p. 38.

s) Opp. p. 226.

laxando tollant. Et sic plures adhuc citare possem medicos summi nominis. His omnibus vero non obstantibus, hodie a multis et peritissimis medicis semel vsu receptum fuit, vt in pleuritide, vix vna alteraue praegressa venaelectione, lateri affecto latum sat vesicatorium adplicetur. Sic dicit de vesicatoriis **WILLISIVS** ^{t)}: „Obstructas vias reserant, atque sanguinis, aut serui portiones alicubi stagnantes aut extravasatas commouent et circulationi reddunt, quamobrem illa non tantum in morbis seborosis, sed et sanguineis, immo in pleuritide, peripneumonia et febribus quibuscumque aliis iuuare solent.“ **FREIND** ^{u)} vesictoria ad omnia fere vtilia censuit, etiam in pleuritide egregie valere scribit. **TRILLERVS** ^{v)}, „vbi, ait, repetitis iam aliquoties venaelectionibus restat adhuc insignis spirandi difficultas, vel magis augetur, tum duo vesictoria, vel femoribus, vel tibiis, ex **BAGLIVII** consilio applicanda, deriuationis causa.“ **THOMAS MAYERNE** ^{w)}, primus quod sciam, qui ipsi parti affectae vesicatorium applicauit, dum de pleuritide agit „in fero acri, inquit, latet sal pungens et membranam vellicans, unde dolor; serum hoc si diuertatur, sublata causa, procul dubio tolletur effectus.“ Meliorem tamen habet ideam **WILLISIVS** ^{x)}, qui bene inspexit, causam pleuritidis proximam esse sanguinem, in membranae pleurae vasis minoribus ob leptorem accumulatum et inde phlegmonem excitantem. In inflammatione ventriculi extremitate laudat **PRINGLE** vesictoria loco affecto ad mota, quin

Cl.

^{t)} Pharm. rat. II. p. 224.^{u)} I. c. p. 61.^{v)} Comment. de pleuritide eiusque curatione Cap. IV. §. VI. p. 54.^{w)} Syntagma praxeos med. lib. II.

Cap. V. p. 170.

^{x)} I. c. C. II. p. 102.

cl. GOLDHAGEN magnus practicus, praeceptor et fautor meus ad mortem vsque colendus, in suis excellentissimis praelectionibus therapeuticis magnitudine palmaria ad scrobiculum cordis vesicatoria applicare commendet. Omnibus his rite nunc perpenfis, facile determinare possumus, quando vesicatoria cum fructu possunt adhiberi, si nempe in plethorica massâ humorum fuit diminuta, aut gradus inflammationis non est magnus, aut in initio, praegressâ venae sectione medicus fuit vocatus, aut pleuritis orra est ab inflammatione spuria; videri quoque potest, virum vesicatoriorum parti affectae, an remotori magis sit applicandum. In omnibus denique febribus inflammatoris praemissis praemittendis, excepta nephritide, quia canthrides nimis ad vias vrinarias agunt, magno cum vnu possunt adhiberi.

§. XIII.

Quid autem dicam de febribus neruofis stricte sic dictis, aut ut a cl. SELLE Y) nominantur atactis, cum in eârum cognitione hucusque non sufficienter prosperarent medici et vnamiter affirmant, causam earum tam in praeternaturali irritabilitate, mediante qua magna symptomata ex leui causa saepius producuntur, quam in singulari nonnunquam debilitate systematis neruosi esse querendam, quarum ope natura ad causam quandam leuem superandam atque extricandam impotens reddatur. Nonnunquam enim phaenomena harum febrium sat levia atque absque vilo periculo esse videntur, tamenque periculo non carent; Et quamvis causa praedispenses semper adesse debeat, tamen haec ipsa non semper homini naturalis fuit, sed nonnunquam febris causarum remotarum productum est; sic nonnulla contagia spe-

C

cifica

Y) l. c. p. 266.



cifica vi neruos afficere valent, ita, vt alia adhuc causa acceden-
te, febris huius indolis oriatur. Quod ad causas occasionales
attinet, plerumque in sensus non cadunt, quoniam in ratione
effectuum non sunt. Facile ergo quiuis ratiocinari poterit, cum
de natura harum febrium non satis constet, curationem earum
etiam esse incertam. Hinc inquit etiam cl. SELLE^{a)}: „Fatea-
mur lubenter, harum febrium curationem nondum ita compa-
ratam esse, vt scientiae nostrae gloria inde enascere posset. Ve-
rum enim vero, cum plurimi medici respectu medelae in eo con-
veniant, vt vis vitalis sit conseruanda et excretio cutanea^{b)}, si
solutio salutaris debeat contingere, sit promouenda atque augen-
da, vesicatoria omnino magno cum fructu adhiberi possunt, quin
sunt medici, qui non vnum, sed plura simul applicari com-
mendent.

§. XIV.

Considerauimus hucusque vesicatoriorum usum in febribus.
Operae pretium etiam est, vt inquiramus quamnam utilitatem
in illis morbis, qui febri carent, aut solum comitem habent, sup-
pedient. In apoplexia non febri, ex-lenta, inertii, frigidaque
causa orta, vniuersales commendat euacuationes BOERHAVIVS^{b)}
et alio loco^{c)} „Inter omnia, inquit, vesicae per cantharides
„prosunt, et maxime vesicatoria largissima, diu aperta.,, SYDEN-
HAMVS commendat vesicatorium in nucha cum erecto aegri
situ et HEISTER capiti, nuchae, dorso et suris, magnum vesi-
catorium iubet applicare. CALLISEN^{d)}, „Quod si, inquit,
inani-

^{a)} I. c. p. 271.

^{b)} Aphor. 1024.
^{c)} Nonnunquam, quamvis raro,
per alias vias febris materiem elimina-
re conata est.

^{d)} Aphor. 1027.

^{e)} Aphor. 1027. et 1034.

^{f)} Institut. chirurg. hodiern. p. 337;

inanitio simplex, plethorae locali opposita, hunc mōrbum induxit, spiritus irritantes, vesicatoria, frictiones et alia quae humores encephalo reddere, languidumque sanguinis circulum excitare valent, in vsum trahenda forent. LUDWIG^{e)} varia excitantia, clysmata acria, vesicatoria ampla et largius insperso cantharidum pulvrey efficaciora reddit, furis applicata, quin cauteria actualia commendat. In serosa cerebri inundatione sanguini parcendum est, varia reuelentia et excitantia, vesicatoria in primis possunt adhiberi. In metastatica autem iis maxime auxiliis medendum est, quae materiem peccantem ad debitam sedem reuocant, quo scopo fotus, pediluuia, aliaque balnea, frictiones, sinapismi, vesicatoria etc. adhibentur. Reicienda autem sunt in apoplexia calida seu febrili, a plethora, extrausatione humorum etc. oria, vt et si a veneno aut' polypo effet producta^{f)}.

§. XV.

In curanda autem fibrarum muscularium immobilitate, paralyssi dicta, quis est, qui omnia ista remedia omitteret, quae irritant, torporem tollunt, discutunt, et nouam quasi in parte paralytica actuitatem producunt. Si enim ad methodum paralysin medendi antiquorum medicorum redeamus et vsque ad nostra tempora illam prosequamur, semper de remediis, penetranti et stimulante virtute praeditis, acribus aromaticis, cucurbitis, scarificationibus, fustigationibus, vrticationibus, vesicatoriis, similibusque legimus. Praesertim autem in applicandis vesicatoriis eo est attendendum, vt loco affecto proximo applicantur,

C 2

aut

e) Institut. med. clinie. §. 641. pag. f) Cf. BØERHAV, l. c. p. 306.
296. 1935.



aut illo in loco, quo nérus paralyticus suam ducat originem; quam sententiam quoque cl. BOERHAVIVS ^{g)}, CALLISEN ^{h)}, POTT; pluresque alii habent ⁱ⁾.

§. XVI.

In epilepticis vero affectibus, quamvis contra indicata esse videantur, optimum effectum a vesicatoriis nonnunquam obseruavimus. Respiciendum tamen est ad causam, epilepsiam producentem, vtrum sit haereditaria, per animi pathemata producta, a mala cerebri configuratione, a spinis acutis in sinu falciformi vel lateribus enatis, ab obstructionibus vasorum ac polypis ^{k)}, a nimio mercurialium vsu et non satis eliminato, a plethora, vermbus similibusque orta, an non. In priori casu vesicatoria certe aut non aut difficillime spem medelae suppeditabunt; in posteriori autem, si epilepsia a sero acri, impuro aut intus contento, aut retrogresso ^{l)} orta est, magnum reddent auxilium vesicatoria. Sic legimus apud WILLISIVM ^{m)}, puellam in ignem praeceps factam, totoque capite perustam ac peraccidens cauterisaram, tam diu a morbo suo liberam permanisse, quam diu incurata vlcera fuderunt saniem, quibus consolatis rediit epilepsia. Si porro morbus exanthematicus non rite fuit tractatus aut corruptus, aut retroupluis, vt in scabie, achoribus etc., aut si nonnulla intercepta sunt, quae olim excerni sole-

g) l. c. p. 316. 1070.

h) l. c. p. 243.

i) Sunt etiam, qui, præsertim in illa paralyseos specie, Haemiplexia dista, vesicatoria loco affecto exaduerso applicare nuper admodum suadent,

k) Cf. BONET. in Sepulch. Anatomico.

l) Cf. HIPP. Lib. de morb. sacro §. 4. seqq.

m) Lib. de morb. conuulsiv. Cap. III.

~~~~~

solebant, ut sanies, pus, menstrua, lochia, haemorrhoides, vri-  
na; fonticuli, vlcera, quae inueterata erant, consolidata, ves-  
catoria magnam sanationis spem praestant. Saepius quoque de-  
prehendimus ante variolarum eruptionem affectus epilepticos,  
adhibito vesicatorio cessant hi affectus et felix eruptio contingit.  
Sic solet III. BOEHMERVS praceptor et fautor meus ad cineres  
vsque colendus, statim, quam primum aeger, se contagio va-  
riolo affectum esse credit, vesicatoria suris applicare, ad mate-  
riam variolosam a partibus nobilioribus deriuandam et excretio-  
nem eius promouendam. Saepius quoque pollet miser breui  
tempore ante insultum epilepsiae sensu aurae vel vaporis cuius-  
dam ab una parte incipientis et ad alias transeuntis, quo in casu  
vesicatorium loco, quo sensatio ista incipit, applicatum magnum  
praefauit leuamen. Durante autem proximo, praesertim ista  
sensatione vaporis non deprehensa, vesicatoria maiorem adlatura  
essent damnum. Haec dicta nunc valent etiam de reliquis spaf-  
mis, vt tetano etc.

### §. XVII.

In hydrophobia et rabie canina plurima obseruata effica-  
ciam cantharidum et vesicatoriorum comprobant. Sic commen-  
dat BOERNAVIVS <sup>2)</sup> magnas cucurbitas fortiter trahentes, et  
omnia medicamenta, quae assida rosione exulcerent, et suppu-  
rationem perpetuam reddant. LUDWIG <sup>3)</sup> earidem medelam  
laudat, et Cl. SCHMUCKER, vt vulnus inflictum et apertum ser-  
uetur, puluere cantharidum insperso et vesicatorio super hoc  
imposito vsque ad suppurationis prouentum iubet. Celsus ipse

C 3

iam

<sup>2)</sup> l. m. c. II 43. p. 339.

<sup>3)</sup> l. c. §. 692. p. 321.

22

iam nobis commemorat, quod in eiusmodi hominibus balnea, diaphoretica et talia remedia, vulnus semper apertum seruantia cum fructu fuerint instituta, ut venenum resorptum effluere possit. Verum quidem est, quod vis cantharidum irritans iis noce-re possit, quibus nerui sensiliores aut natura aut ex morbo sunt, sed haec incommoda non solum minui, sed nullo etiam modo cum horrifico hydrophobiae malo comparari possunt. Num etiam in hydrophobia spontanea SAVVAGES <sup>p)</sup> et VOGELII <sup>q)</sup> vesicatoria? Omnino, quatenus in febribus neruosis acutis non raro deprehenditur.

### §. XVIII.

In cephalgia inter praecipua remedia, quae adhiberi me-rentur, vesicatoria ab experientissimis practicis ponuntur. MAR-CVS AVRELIVS SEVERINVS <sup>r)</sup> in dolore capitis habituali et atrocissima cephalgia vesicatoria suadet, derafo capillitio vel so-lum dolenti vel toti capiti cucuphae forma. RIVERIVS <sup>s)</sup>, „in omni, inquit, dolore a quacunque causa oriatur, si aliis reme-dii non cesserit, et doloris atrocitas ad extrema confugere co-gat, vesicatorium toti capiti admotum derafo capillitio curatio-nem absoluere poterit.“ HOLLERVS <sup>t)</sup> ope vesicatoriorum, ut alios, ita etiam cephalicos et hemicranicos dolores saepissime tolli affirmat. BROOKES <sup>u)</sup> inquit „Kann man auch dadurch, per resoluentia scilicet, diluentia, euacuantia, diuretica etc. nichts

p) Nefol. Method. T. II. p. 235.

t) Instit. chirurg. Liq. III. C. V.

q) Prael. de cogn. et cur. C. H.

u) Vollstaendiges Handbuch der

adf. p. 73.

ganzen praktischen Arzneigelaehr-

r) Pyrotehn. chir. Lib. II. C. 8.

keit. T. I. S. 794. a. d. Engl.

s) Prax. med. Lib. II. C. 16.

„nichts ausrichten, so lege man ein Zugpflaster, welches aus einer Unze Emplastrum attrahens, einer Drachme spanischer Fliegen und einigen Granen Campfer bestehen; und von der Größe eines harten Thalers seyn kann in Naken <sup>v)</sup>, erfrische [es] öfters und lasse es lange tragen. Wenn unter der Haut am ganzen Kopf ein serum angehäuft seyn und die sichtbare Ursache des Kopfwelches abgeben sollte, so kann man mit Vortheil ein Zugpflaster über den ganzen Kopf legen.“ MICHELORTI <sup>w)</sup> in cephalalgia pertinacissima, sine febre tamen, laudat vesicatoria, aperta seruanda, donec dolor cessauerit. Et HOFFMANNVS <sup>x)</sup> affirmat, vesicatoria virtutis esse expertissimae, quia perniciose stagnanti humoris exitum concedant. Attamen a vesicatooriis, si dolor capitis febrilibus symptomatibus superveniat, abstinentur est; sed absente etiam febre, quando plethora, sueta venaesectio transgressa vel omissa, congestio sanguinis versus caput, orgasmus humorum, similiaque locum habent, itemque quando ab haemorrhoidum aut mensium suppressione, nisi forte ex stimuli defectu orta esset, fugienda sunt. Quo magis autem vesicatoria in cephalalgia sanguinea sunt reicienda, eo magis conferunt in subiectis cacoehymicis, exceptis scorbuticis, cacheeticis, pituitosis, a causa sic dicta frigida, colluvie viscida, serosa, et cucuphae illae ab auctoribus commendatae omnino profundunt. Nonnunquam etiam materia acris, ar-

thri-

v) Applicationem ad nucham re- haec attrahunt potius et dolorem  
fecit WEPFERVS (in Op. de mor- augent.  
bis capitis). vesicatoria, ait, lo- w) Acta phys. med. Nat. Cur. Vol.  
co diffantiori applicata potentius I. obs. 103.  
renuant, quam vicino affixa, nam x) Med. Syst. T. IV. P. II. p. 198.



thritica, rheumatica prodcut cephalgiam, quo in casu vesicatoria cum vtilitate adhiberi possunt, praeſertim si admisso refrigerio aut mala arte repressa fuerit. Sic legimus in Miscellaneis Naturae Curiosorum <sup>y)</sup> cephalgiam grauem ab arthritide statim tempore inuadere solitam, nunc emanentem, postquam quatuor vesicatoria in malleolorum regione applicata, fuerunt, sanatam fuisse. Quum autem oriatur cephalalgia a cauſa, quae gracilio-ri constitutioni, summaeque debilitati atque irritabilitati debetur; porro quae congenita est, aut a largis sanguinis aliorumque humorum euacuationibus, a subitaneis aeris vicissitudinibus, a ve-nero venereo, ex ventriculo per sympathiam, aut a saturis encephali arcte concretis, similiaque, antispasmodica, roborantia, diluentia, diaphoretica, euacuantia, trepanatio etc. maiorem suppeditabunt auxilium. Quando fit, vt dolor intensus, fixus, inopinatus certum locum dumtaxat occupans oriatur, tum peritissimi medici moxam commendant, medicus gallus Cheneau extollit herbam ranunculi pratensis, loco dolenti impositam; quin HOFFMANNVS <sup>z)</sup> felici cum successu, abrasa capitis par-te dolente, siccum sal volatile salis ammoniaci cum aequali parte pulveris sinapi mixtum imponi suadet. Quid igitur impedit, quominus etiam vesicatoria, quae fortiorem discussionem producunt atque profundius penetrant, adplicemus. In illo autem dolore obtuso, premente, grauante, in ipsa fronte, a muco viscido et tenaci, cui forte acrimonia immixta est, sinubus frontalibus agglutinato, orto, vesicatorium adhiberi nolle <sup>a).</sup>

#### §. XIX.

y) Deo. III. Ao. V. et VI. obf. 14.

z) I. c. T. IV. P. II. p. 198.

a) cf. HOFFMAN. I. c. T. 10. P.

II. p. 299.

## §. XIX.

An maniae conueniant vesicatoria inquire quoque meretur, eo magis, cum in eorum vsu medici non consentiunt. RIVERIVS in venaelectionibus et purgationibus subsistit. WEPFERVS faytor vesicantium in omnibus maniae casibus venaefectiones, helleborata, refrigerantia laudat. PITCARNIVS quidem post venaefectionem et purgantia, scarificationes, minime autem cantharides commendat. Neque BOERHAVIVS ET VAN SWIETEN ista commendant. HOFFMANNVS<sup>b)</sup> „vesicatoria, inquit, in curanda maniae parum vel nihil valent, sed malum potius exasperant, cantharidum quippe sales caustici per poros in sanguinem delati, maiorem neruosis membranis et ipsi quoque durae matri stimulum impingendo, sanguinis crassi et biliosi per caput et vniuersum corpus motum, spastica strictrura inducta, augent, cum potius medicamenta, quae constrictiones partium neruosarum demulcendi, effraenumque humorum motum refraenandi vi polalent, in usum vocari debeant.“ MEAD<sup>c)</sup> „illis, quae morbum minuant, ad numeranda forsan videbantur emplastra vesicatoria capiti admota, quae tamen nimia irritatione nocere potius, quam iuuare, saepius deprehendi.“ Licet autem hi viri magnae auctoritatis nihil boni ab iis exspectent, tamen sunt alii, qui maxime illa commendant. Sic ROLFINKIVS<sup>d)</sup> vesicatoria summe proficia esse scapulis et brachiis admota afferit. LOCHER<sup>e)</sup>

lar-

b) I c. T. IV. P. IV. p. 225.

e) In obseruat. pract. circa luem

c) Monit. Med. p. 52.

vener. epileps. et maniam p. 60.

d) In ord. et method. curandi ca-

pitis affectus Diff. V. p. 23.



largas et repetitas venaefectiones instituere iubet, tamenque „fa-  
„teor, ait, quod multos habuerim maniacos, qui non prius re-  
„dierunt ad se, quam tum per iteratas venaefectiones et vesica-  
„toria applicata debilitati quasi fuerant. „ Quando autem enor-  
me muscularum robur, quo ut plurimum maniaci pollut, per-  
pendamus, medela potius in eo quaerenda est, quod excessus vi-  
rium debilitetur, qui scopus per purgantia et venaefectiones re-  
petitas et a plurimis practicis commendatas, optime impetratur.  
Praeterea contradicunt vesicatoria plethora, robur, pulsus mag-  
nus, plenus, si vel scopo reuellente adhibere veulent medici, tunc  
que magis conueniunt purgantia et venaefectiones. Et phae-  
nomena maniae, magis circulum sanguinis refraenare et conge-  
stiones eius a capite versus partes inferiores determinare indicant;  
hinc ab omnibus fere practicis serum lactis, decocta demulcen-  
tia, emulsiones, acida, mellita, opiate cum fructu adhibentur.  
Omnes deinde medici laudant nitrum, cui HOFFMANNVS <sup>f)</sup>  
elogium scripsit. Quum vero hoc remedium est praestantissi-  
mum, quomodo cum his indicationibus quadrat vesicatorium,  
yno eodemque tempore admotum. De aceto nil dicam, quod  
tamen ab omnibus practicis ad astra tollitur; quomodo cum eo  
stare potest usus cantharidum ipsi in actione e diametro contra-  
riantium <sup>g)</sup>? Quin imo ab antiquissimis temporibus aqua frigida  
capiti applicata per repetiam experientiam utilem se praebuit.  
CELSVS enim <sup>h)</sup> iam monuit, nihil aequa prodesse capiti ac aquam  
frigidam. Plura atque egregia vide apud HOFFMANNVM <sup>i).</sup>

Acci-

f) I. c. T. IV. P. IV. p. 217.

h) Lib. L cap. VI.

g) ORTLOB Exercitat. med, chi-  
rurg. De vesicatoriis §. 9.

i) I. c. T. IV. P. IV. p. 209-211.

Accidit interdum, ut subiecti vtriusque sexus appetitu incomprehensibili ad veneris exercitium ducti, non solum in statu vigilante, sed et insomniis, imagines voluptuosas et lascivias representantibus, in priapismum, furorem vteri, quin maniam abripiantur, num licebit in eiusmodi subiectis cantharides adhibere tam interne, quam externe nonne malum, appetentiam veneris augebunt? Si porro haec infania, mania dicta, non raro a melancholia nascitur, a qua gradu differt <sup>k)</sup>, necesse est, ut iisdem indicatis remediis curetur, quamvis FORSTEN ob proprietates stimulantes vesicatoria commendanda esse credat. Si autem dicta BOERHAVII<sup>l)</sup> de melancholia et maniae causis atque curatione perlegimus et ad cantharides applicemus, nonne propter vehementem et vrentem earum stimulum materia acrior, rodentior, aut si iam acris et rodens est, ea acerrima, rodentissima atque turgens reddetur, ut eo certius atque citius vasa erodat et malum augeat. „Omnia enim, ait VAN SWIETEN <sup>m)</sup>, quae motum augent et calorem in corpore, apta sunt, ut in motum subito agant atram bilem.“ Saepe attulit curationem scabies foetida superueniens, aliquando elephantiasin aemulans <sup>n)</sup>, aut varix numerosa, ingens enata, tumentium valde haemorrhoidum fluxus, atrae bilis per superiora et inferiora reiectione, quae omnia non inducunt vesicatoria, ut ideo non auxilium in iis applicandis quaererem. Consentientem quoque habeo HOFFMANNUM <sup>o)</sup>. Quid de melancholia et mania denique a causa morali et animi.

## D 2

pa-

k) cf. BOERHAV. Aphor. 1118.

p. 331.

l) I. c. p. 3<sup>o</sup> 3.

m) cf. Comment. in Aphor. Boer-

hav. 1104.

n) BOERHAV. Aphor. 1110.

o) I. c. T. IV. P. IV. p. 225.



pathemate, et de mania a debilitate post longas gravesque febres atque euacuationes percessas, ora dicam; in priori casu potissimum remedia moralia, in posteriori vires reficientia, cardiaca, roborantia reddit sanitatem.

§. XX.

Cum de morbis capitis hic loquor, ophthalmiam non praeterundam esse censeo, eomagis, cum generalis fere practicorum sit sententia, in curanda ophthalmia vix unquam vim vesicatoriorum esse omittendam, quare etiam applicatio eorum ab aliis in initio morbi, ab aliis praemissis praemittendis in usum vocari debet. RIVERIVS<sup>p)</sup> vesicatoria utilissima esse in ophthalmia, tam parti cervicis posteriori, quam pone aures ad mota affirmat. PIT CARNIVS<sup>q)</sup> Venaefectiones et purgantia suadet, tamen, ut interea vesicatoria nuchae admota usurpentur, praecipit. Veheientes oculorum inflammations non sine larga venaelectione sanari posse dicit PRINGLE<sup>r)</sup>, ad revulsionem a parte dolente praestandam vesicatoria post aures applicari iubet. C. L. HAEN<sup>s)</sup>, postquam de externis remedii oculo ad mouendis locutus est, „vix vero, inquit, haec omnia grauiores inflammations tollunt, „nisi simul purgantia antiphlogistica potenter reuelunt, quocum „maxime etiam facit aut in nucha vesicans, aut pone aures emplastrum ex emplastro vesicatorio et meliloti compositum. HOFF- „MANNVS<sup>t)</sup>„ Si mali origo, ait, a sanguinis redundantia, praestant, prius venam brachii, pedis, aut iugularem aperire, ac postea, si opus est, scarificare pone aures aut in nucha. Setacea

et

p) Prax. Lib. II. C. VIII. p. 207.

q) Elem. Med. C. q. §. 10.

r) Von den Krankh. einer Armes.

s) Rat. Med. T. IX. P. I. p. 243.

t) I. c. T. VI. P. I. p. 526.

et vesicatoria non facile applicanda in plethorics, nisi soluta eius  
plethora et aluo, praesertim in cacoehymicis, subducta. Neque  
si vesicatoria necessaria, ea semel tantum applicare sufficit, sed  
saepius in locis sensibilioribus, vti nucha, olecrano, carpis ma-  
num. CALLISEN <sup>u)</sup> „neque, inquit, exiguum ad infringendum vel avocandum stimulum confert symbolam irritamentum,  
„vesicatorii ope praesertim in opportuno loco sustentatum.“  
Egomet ipse maximo cum fructu praemissis venaectionibus, si  
erant necessariae, purgantibus antiphlogisticis et temperantibus  
vesicatoria scabulis, brachio applicata expertus fui, nisi ab haemorrhoidibus aut catameniis suppressis suum duxit ortum, quo  
in casu omnino remedia morbo magis appropriata, quam vesicatoria,  
vſus fui. In serosa ophthalmia seu catarrhali, quando  
serum ex oculo effluens saepe est acerrimum, ita vt palpebras et  
loca vicina erodat, plus minusue inflammet, vesicatoria magnum  
dabunt auxilium. Sic HOFFMANNVS <sup>v)</sup> „Serum, inquit,  
„acre falsum valide ab oculis revocant vesicatoria.“ LUDWIG <sup>w)</sup>  
„Optimum, ait, saepe auxilium praestant vesicatoria, inter sca-  
„pulas apposita et diu apperta seruanda, et in hunc finem semel  
„iterumque renouanda.“ In ophthalmia putrida, gastrica, scor-  
butica, scabiosa, venerea, cancrosa, plus minusue concederem  
vesicatoria, sed potius sinapismos, antisepтика, purgantia, mun-  
dificantia, mercurialia etc. commendarem. Num proslunt etiam  
vesicatoria in amauroſi? Omnino, si nempe a vasculorum per  
membranas neruum cingentes reptantium obſtructione, qua aut

D 3

pul-

u) Instit. chir. hod. §. 235. p. 79.

w) Instit. med. clinic. P. II. Tr. II.

v) I. c. T. IV. P. I. p. 524.

C. III. §. 721. p. 336.

~~~~~

pulpa nerui comprimitur, aut fluxus fluidi neruei ad retinam impeditur, suam dicit originem. Sic PLATNERVS^{x)} interea ferramentis candardibus sumnum caput exulcerandum vult et cutem post aurem, atque utiliter etiam, si nulla adest febris, cantharides admoueri ceruici et tergo scribit. WEPFERS^{y)} vesicatoria in gutta serena felicissimo successu adhiberi scribit. TUL-
PIVS^{z)} amaurosin in foemina non tolli potuisse refert, nisi per remedia valentissima, in quibus excelluerunt ampla vesicatoria internis femoribus ad mota. Multos adhuc magnosque viros aducere possem, qui vesicatoria in amaurosi laudant, cum tamen totidem exstant viri clarissimi, qui maiorem adscribunt sanationis spem mercurialibus, setaceis et cauteris actualibus^{a)}, totus in eo esse videtur dissensus, utrum gutta serena sit incipiens, quo in casu omnino usum praestare potest, an adulta, ubi cum Ill. HOFFMANNO, BOERHAVIO, aliisque experientissimis medicis iure dubitatur.

§. XXI.

Vesicatoria in odontalgia adhibere res est ita cognita et visitata, ut adeo a mulierculis vel temporibus vel pone aures applicentur. Verum vero cum multiplices et sene diuersissimae sint eius causae, non semper facile erit determinatu, quae praecipue debet accusari. Quare etiam iure scandalum medicorum dici potest. Nullum enim remedium tam ex quam interne adhibitum semper auxilium suppeditauit, licet Ill. JVNCKERVS^{b)} iudeum quem-

x) Chirurg. §. 1322.

a) cf. HOFFMAN. I. c. T. IV. P. IV.

y) De morib. capitols Obs. 150. p. 703.

p. 118.

z) Obs. Lib. I. C. 10.

b) Conspect. Med. Tab. XXV. p. 216.

quemdam expertum esse referat, vesicatoria prope flexuram cubiti in latere affecto applicata cum praesentaneo leuamine. Non possum autem comprehendere, quem usum haberi possit vesicatorium in plethorics, in subiectis a raptu sanguinis dolores dentium patientibus, grauidis, aut illis subiectis, quibus menstrua instant etc.; ubi magis profundunt pediluua, purgantia antiphlogistica, venaesctiones similiaque: Scitur porro ex anatomicis ^{c)}, ramum ex arteria alveolari parte tuberositatis maxillae inferioris postica oriri, qui per foramen alveolare posticum in substantiam maxillae superioris intrat et dentibus arterias reddit, et arteriam cum neruo, sub aure maxillam inferiorem ingredi et secundum eius longitudinem in omnium dentium inferiorum radices disseminari. Quando nunc istae radicum membranae inflammatae sunt et pone aures vesicatorium applicetur, nonne stimulo hoc sanguis maiori copia et celeritate in has membranas allicitur, cum tamen affluxum auertere et reuellere tentamus. Magis autem prodeste possunt vesicatoria in dentium doloribus a causa rheumatica, catarrhali, acri oriundis ^{d)}: Quid vero vesicatoria in doloribus dentium a carie ortis, quae saepius causa est, facerent, non intelligo.

§. XXII.

De morbis aurium et vitiis auditus, ad quae referuntur tinnitus, susurrum, difficultatem auditus, surditatem plenariam, otalgiam, aures manantes, nunc dicam, partim quia sunt me-

c) cf. MAYER Anatomische Beschreibung der Blutgefäße des menschlichen Körpers, p. 54. 56.

d) GORTER Chirurg. repurg. p. 91.
— Tissot Avis au peuple T. I. p. 166.
— Ludwig I. c. P. II. Tr. I. C. V.
§. 745. p. 347.



medici, qui *vsum vesicatoriorum specifice* quasi extollunt, partim quia alii ea omnino fere reiiciunt. **WEFFERVS**^{e)}, occasione grauis auditus et tinnitus commendat vesicatoria humero, ceruici, dorso, carpis et post olecranum applicata, et surditatem recentem et difficultatem auditus inueteratam mitigasse vel sustulisse affirmat. **RIDLINVS**^{f)} puero ab infantia ad XIII. aetatis annum auditus difficultate vexato, cum nullum ei proficeret remedium, vesicatoria maximo cum fructu in *vsum* ducta fuisse scribit, ita, vt ab illo tempore nihil mali amplius senserit. **HOFFMANNVS**^{g)} „vesicatoria, inquit, suris pedum admota, quae in „subiectis pituitosis, vbi serosa colluuius malum induxit, egregiae „sunt utilitatis.“ Licit autem hi viri magni nqminis applicationem vesicatoriorum laudent, tamen omnis circumspetio in iis adhibendis opus est. Dantur enim grauis atque difficilis auditus caucae adeo multiplices et sonicae, vt ratio difficilioris curationis, quae saepe prorsus impossibilis, optime perspici possit, vt affectus hypochondriaci, membrana tympani rigidior aut laxior, membrana vel excrescentia, meatum auditorium obstruens, obstructio tubae Eustachiana, auditus difficultas ex siccitate membranarum et cerumine indurato etc., quibus in casibus vesicatoria certe nihil efficere possunt. Maiori autem cum leuamine atque sanationis spe possunt vesicatoria usurpari in aut ditu difficile atque graui a materia metastatice deposita, subitanea aeris mutatione, refrigerio, retropulsa materie aut per repellentia aut per aliam vim, orta. Sic inquit **HOFFMANNVS**^{h)} „saepe fit, vt „achoo-

e) l. c. obs. 186-188.

f) Lin. Med. Obs. 25.


g) l. c. T. IV. P. IV. p. 157-160.

h) l. c. T. IV. P. IV. p. 160.

„achores, tinea capitis, scabies, aliaeque efflorescentiae praemature consolidatae et exsiccate auditus relinquant grauitatem, quo in casu praeter laxantia et pulueres diaphoreticos cum floribus sulphuris permiscendos, vesicatoria atque fonticuli deruando materiam exanthematicam operae pretium faciunt. „ Ego met ipse sub directorio experientissimi Dn. Prof. Boehmeri praeceptoris ac fautoris mei ad cineres vsque colendi, in pueru XV. annorum conuulsionibus et auditu difficulti a retropulsa scabie labore optimum per vesicatoria effectum obseruauit, post applicationem enim hora septima praeterlapsa intumescebat leniter totus corporis habitus, et sequente die sensim sensimque cessabant conuulsiones, grauis auditus et scabies veniebat iterum in conspectum. Saepius etiam accidit, ut morbi perpepsi aures relinquant manantes, quo in casu vesicatoria pone aures ad mota, infectiones, laxantia et pediluuia felicem praefstant effectum; consentientem mecum habeo etiam HOFFMANNVMⁱ⁾, qui, si materia purulenta atque foetida diutius atque copiosius auribus effluit, pediluuia, vesicatoria, cucurbitulas, praesertim in hominum aetate prouectioni commendat. In tinnitu aurium et grauitate auditus a nimia sanguinis abundantia, eiusque congestione versus caput, a suppressione aut imminuto fluore haemorrhoidum atque mensium optimum praefstant fructum venaefectiones, pediluuia, aluum laxantia, neutiquam autem vesicatoria. Nonnunquam oritur etiam oralgia et grauis auditus a corpore alieno, in aurem illapsi, num hic iuuabunt vesicatoria? Minime.

§. XXIII.

i) l. c. T. IV. P. IV. p. 494.



§. XXIII.

Venio nunc ad rheumatismum, cuius curatio non semper vna eademque est, quamuis BOERHAVIUS^{k)} in suis aphorismis venae sectiones, purgantia antiphlogistica, diluentia, emollientia, vesicatoria validiora atque cauteria commendet. Quae verba BOEHAVII, a nonnullis medicis non sufficienter intellecta, causa forte fuerint, cur male in omni rheumatismo vesicatoria adhicerent. Quum autem obseruationes peritissimorum medicorum perlegantur, saepissime deprehenditur, quod hoc loco de rheumatismo cum febre, alioque sine febre loquantur; prior est morbus inflammatorius, quem plus minusve febris violenta comitatur. Datur ergo rheumatismus acutus, sanguineus, calidus, inflammatorius, quandoque vniuersalis. Datur autem etiam sine febre, viscidus, serosus, scorbuticus, venereus, chronicus particularis. Potestne nunc sine discrimine rheumatismo cum febri et sine febri vesicatorium destinari? Dubito. Quod enim attinet rheumatismum sanguineum, inflammatorium, experientissimi medici omnes, qui optime de rheumatismo scripsierunt, citati ab HOFFMANNO¹⁾, BALLONIVS, PISO, RIVERIVS, BOTALLVIS, SYDENHAMVS, quos alii celeberrimi medici sunt securi, praecipuum curationem in reiteratis venaefectionibus quaesuerunt, de vesicatoriis autem prorsus tacent. Ill. SYDENHAMVS^{m)} cum sanguis emissus pleuriticorum sit similis ter, quater, et pluries venaefectiones repetit, datis simul iulapiis refrigerantibus, vel loco phlebotomiae dat purgationes antiphlogisticas

fre-

k) cf. 1493. p. 443.

l) l. e. T. 10. P. II. p. 429.

m) Opp. p. 336. 402. 405.

frequenter, aut serum lactis, sine omni vesicatoriorum applicatione. **H O F F M A N N V S** ⁿ⁾ „Plures, inquit, noūimus, sanguine et succis plenos, qui a causa externa transpirationem vniuerſalem sufflaminante in iminanes totius corporis dolores cum stupore et inimibilitate partium repente coniecti, vnicē fere matura sanguinis missione eaque intrepide et tuto, vrgente necessitate, circa quartum diem repetita prorsus conualuerunt; de vesicatoriis filet.„ **H V X H A M** ^{o)} vix sine magna atque larga venaeſectione aegros laeuari affirmat. **P R I N G L E** vnicē repetitas et quotidianas febre venaeſections, donec aeger sit sine febre et dolores vel diminiuti vel prorsus sublati sint, commendat. **T I S S O T** ^{p)} venaeſectiones repetitas, quin imo intra horas, si necessitatis est, febre autem mitigata purgantia antiphlogistica, vapores emollientes, balnea laudat, minime vesicatoria. **L V D W I G** ^{q)} „inter remedia, inquit, externa non nisi frictio lenis concedenda est, quae cum pannis asperis, imprimis laneis. Flanell dictis, ob leuem irritationem optime perficitur.„ Cumque in iis remediis, quae externe applicantur, nimius calor vitandus sit, ne rheumaticus dolor vel nimium figatur, vel impetuosiſius ex vna parte in alteram ducatur, quomodo possunt prodefesse vesicantia? **S T O E R K I V S** ^{r)} quidem nullum vñquam malum phaenomenon ex emplastro vesicante obſervasse atque inde in omnibus fere corporis locis applicasse affirmat; tamen ſententia **H O F F M A N N I** ^{s)} magis ad veritatem accedere videtur, „Magna enim, ait, cauione in eligendis

E 2

et

n) l. c. T. IV. P. II. p. 438.

o) Opp. T. I. p. 363. 364.

p) l. c. T. I. p. 194.

q) l. m. c. P. I. Tr. II. C. 8. §. 581.

p. 266.

r) Ano Med. II. 114.

s) l. m. c. T. IV. P. II. p. 443.

„et exhibendis remediis topicis opus est; Si rheumatismus est
 „sanguineus praestat penitus ab iis abstinere et tantum moderato
 „et aequali lecti et tegumentorum calore partes dolore affectae fo-
 „nuendae sunt; assentientem quoque habet TISSOTUM t.“ Trans-
 eamus nunc ad rheumatismum frigidum sine febri. Si hic vnam
 parrem corporis tantum occupet, si recens sit, vel febri stipetur
 admodum leui, vna venaelectione et sudoriferis esse sanabilem,
 asserit PRINGLE u). Datur autem rheumatismus quoque, vbi
 prorsus nulla venaelectione opus est, serosus, viscidus, frigidus,
 et in hoc magnum praestabunt fructum vesicatoria. HOFFMAN-
 NVS v) in rheumatismo, qui non a sanguinis puri et consistentis
 copia, sed serosi, impuri plenitudine et colluie pendet, in cor-
 poribus praesertim debilioribus, serosae, phlegmaticae, et fri-
 gidae constitutionis, cautissime agendum esse cum sanguinis, mi-
 fione, plus noxae quam auxilli esse exspectandum docet, dia-
 phoreticis et diureticis plus tribuit, de vesicatoriis autem ta-
 cet; tamenque in rheumatismo aurium w) ex suppressa per frigus
 coryza vesicatorium felici successu admouit, et in rheumatismo
 scabularum incipiente x), „nihil, air, esse praestantius vesicato-
 ,rio intra scapulas posito, nisi adsit status plethoricus, quo cucur-
 ,bitule cum scarificatione partibus inferioribus applicatae effent
 „praferendae.“ HVXHAM y) in rheumatismo ab acri et serosa col-
 luviae orto, postquam diaphoretica et purgantia leniora adhi-
 buit, dolentes locos fomentauit, applicat mox deinde vesicato-
 ria

t) I. m. c. T. I. p. 296.

v) Von den Feldkrankheiten p. 173.

v) I. m. c. T. IV. P. II. p. 440.

w) I. m. c. T. IV. P. II. Caf. II.

p. 452.

x) I. m. c. T. IV. P. II. p. 448.

y) Opp. T. I. p. 364. 365.

ria. SYDENHAMVS^{a)} licet non vesicatoria, tamen fonticulum in crurum alterutro commenderet. VAN SWIETEN virum, cui incalsum varia remedia adhibuit, vesicatorio loco dolenti applicato curauit. Experientissimus TRALLES^{a)} mediante emplastro ex semine sinapi contuso et in aceto fortissimo macerato, a pertinacissimo humeri dolore fuit liberatus. Ex his haec tenus dictis apparet, vesicatoria optimo cum successu posse adhiberi, si rheumatismus est vni loco infixus, chronicus, frigidus, sine febre aut valde leui stipatus. Quidquid nunc de rheumatismo dixi, applicari etiam potest ad arthritidem eiusque species, podagram, malum ischiadicum etc., quando autem dolor fixus in hoc malo iam iam aliquot tempus perduravit, magna adest inflammatio cum tumore ingenti, ita ut transitus suppurationis in musculis esset pertimescenda, vesicatoria aliaque irritantia prorsus fugienda sunt; vt et in rheumatismo periodice recurrente, quem magis per antifebrilia curare velim. BRVNNERVS^{b)} in foemina eum pillulis ex cortice peruviano singulis trihorii exhibitis statim mitigauit et mutata pillularum forma infusum continuato vsu prorsus abegit. Interdum etiam contingit, ut materia morbi mota, quae alias ad articulos transiit, nunc eo non deducatur vel deduci nequeat et retrocedat, cuius causae sunt languor virium vitalium, vel ob senium vel ob alias causas productus, transpiratio suppressio, mala adstringentium, refrigerantium, incrassantium vel extra paroxysmum vel in eodem applicatio, nimia corporis repletio per nutrientia, viscera debilitata, laesa, obstructa,

E 3

a) Opp. p. 350.

b) Misc. N. C. Dec. III. Ao. VII.

a) Usus opii salubris et noxius, T. II. p. 312.

et VIII. Obs. 297.

nimiae et viribus corporis non proportionatae euacuationes, incongrua et immatura cum aqua frigida abluitio etc., quibus causis admissis saepius insigni cum celeritate funesti producuntur effectus, catarrhus suffocatiuus, apoplexia etc. Hic vesicatoria magnum suppeditabunt auxilium. Eiusdem sententiae etiam est BOERHAVIVS^{c)}. „Si autem, ait, materiae podagrcae introiuerae signa ad sunt, sine villa mora tentanda est eius expulsio in iuncturas, ergo statim applicentur femoribus larga vesicatoria.“ Solummodo tamen ad id est respiciendum, ut articuli, qui alias materiam morbi suscepereunt, si nimis rigidae sunt, fotu vel balneo ex lacte et emollientibus cocto, ante applicationem fouentur, quo laxatis vasis facilior fieri possit impulsus. Quando autem propter crebriores invasiones articuli ita obstruti et indurati sunt, ut materies ob vasculorum abolitionem amplius ea intrare nequeat; sed intus manere cogatur, vix aliquid a vesicatoriorum applicatione erit sperandum. De rheumatismo scorbutico, venereo nil dicam, cum Ill. SIDENHAMVS, TISSOT, STOERKIVS aliique satis satisque docuerint, curationem magis a correctione depravatorum humorum per specifica sic dicta remedia, quam per vesicatoria adhibita esse exspectandam.

§. XXIV.

Plures adhuc morbos in medium proferre possem, quibus vesicatoria certis sub causis et circumstantiis magno cum leuamine ab experientissimis medicis adhibita fuerunt, si finem huius tractati nimis transire, minus metuere. Attramen pauca modo addere cogor. Dixi in antecedentibus (§. XII.) vesicatoria in ne-

phri-

c) I. m. c. Aphor. 1281. p. 388. d) Mat. Med. Lib. VI. Cap. I.

phritide non esse adhibenda. Nemo fere medicorum est, quin, dum de vesicatoriis et cantharidibus scripsit, iis principium difficultatis mingendi inesse obseruasset. DIASCORIDES ^{d)}, iam annotauit a cantharidibus vrinam aegre reddi; atque eius commentator MATHIOLVS, „nocere eas, inquit, priuatum vesicae et omnibus vrinæ inferuentibus partibus, non modo haustas, sed quandoque etiam exterius illatas, praesertim si amplis cataplasmatibus admisceantur.“ BORRICHIVS ^{e)}, nuchae admotas cantharides molestissimam dysuriam induisse sexcenties affirmat. Ill. de HAEN ^{f)} narrat de foemina febri maligna laborante, cui primo tria, deinde duo vesicatoria sunt applicata. Secuta est stranguria et dolor ad ima pelvis intolerabilis, ita ut eiulatu totas aedes impleret, oleo autem lini per catheterem iniecto dolor sedatus est. Egomet ipse in pueru XVI. annorum peripneumonia acutissima laborante, post applicationem duorum vesicatoriorum doles vrentes et intolerabiles in viis vrinariis cum perpetuo mingendi conatu et subsequente parua vrinæ excretione obseruavi, assumto autem decocto auenaceo cum camphora mixto, cessauit dolor atrox et difficultas mingendi. CRANTZIVS ^{g)} ad septicum venenum viis vrinariis maxime infestum infringendum antidota interne adhibenda commendat, dum externe cantharides applicantur. Quin ARETAEVIS ^{h)}, primus fere, qui vesicatoria in usum duxit, lac bibendum iubet. Plura atque egregia exempla

e) 1. e. Vol I. obs. 180.

f) Rat. Med. P. III. C. I. p. 51.

g) Mat. Med. III. p. 93.

h) Curat. inorb. diuturn. Lib. I.

cap. IV.



pla apud HILDANVMⁱ), HOEFFERVM^k), MEECKREN^l), BAR-
THOLINVM^m), in Miscellaneis Nat. Curiosⁿ), aliosque auctores
peritissimos legi possunt.

§. XXV.

Vndenam autem illa vis, cur speciatim vesicatoria renum et
vesicae functionem adeo evidenter laedant? HOFFMANNVS^o).
„Sal, inquit, volatile cantharidum causticum, si vel interne vel
„externe usurpetur, ductus vrinarios maxime petere et spasmos
„corripere solet, vnde plerumque ardorem et difficultatem vri-
„nae, quandoque etiam mictum cruentum efficiunt.“ WILLI-
„SIVS^p) „acriores, inquit, particulae cantharidum, si diu cuti
„applicantur, interdum copiosius a sanguine imbibitae, totum
„eius serum inficiunt, qui tamen latex ita aculentus, quam diu
„cum balsamico sanguine confunditur, nulli parti afficit; verum
„ab hoc per renes separatus quandoque iis noxam affricat, et fre-
„quenter vesicae collum non modo acrimonia sua vellicat, sed et
„nonnunquam corrodens inde mucum ac pelliculas imo et cruo-
„rem abscedere facit.“ HVXHAMVS^q) cantharides simul cum
acribus vrinae salibus agere asserit. Licet autem hae sententiae,
quibus plures aliae possunt addi, magna reipse polleant proba-
bilitate, tamen non satis constat, quid impedit, quo minus in
aliis corporis partibus phaenomena doloris etc. producantur.
Specificum ergo principium cantharidibus inesse, vti in aliis non
nul-

i) Obs. Cent. VI.

k) Hercul. medi. Lib. III. Cap. IV.

l) Obs. med. chir. Cap. 34.

m) Cent. V. hist. 21 et 32.

n) Det. III. Ao. VIII. obs. 137 et

Dec. II. Ao. X. obs. 133.

o) Lm/c. T. II. p. 281 et 282.

p) l. c. T. II. p. 224.

q) l. c. T. III. p. 124.

nullis remediis, videtur. Quis enim actionem specificam alocicorum ad vasa haemorrhoidalia, Gummi ammoniaci in oxyelite squillitico soluti ad pulmonem expectorationem etc. a peritissimis medicis laudatam negabit? Ignoramus, cur postictum viperae icterus inducatur, cur dipsas, dum in sistema lymphaticum agit, sitim excitet, cur leuissimus physteris ictus omnem membranam cellulosam emphysemate distendat.

§. XXVI.

Optandum denique esset, ut mos vnum emplastrum officiale habere et indiscriminatum omnibus aegris in omni casu admouere proscriberetur, sed potius ut medici pro aegri aetate, temperamento, morbo etc. emplastrum de novo praescriberent, quod ex cantharidum, emplastri emollientis et camphorae proportionatis dosibus consistere posset ^{r).} Itemque ut praeiudicium plebem, et quod miror etiam nonnullos medicos tenens, euanesceret, vesicatorium applicatum, si in determinato tempore exiguum aut nullam vesiculam producat, semper aut summum periculum, aut mortem instantem designare, cum tamen causa saepius non in defectu virium vitae sed potius in emplastro ipso, eiusque mixtione, idiosyncrasia, consuetudine etc. quaerenda est; praeterea obseruationes quoque nos docent, non semper mortis instantis esse signum. LOESEKE ^{s)} inquit „Die Erfahrung hat uns in zwey Krankheiten gelehret, dass, da zu dreymahlen gesetzte spanische Fliegen keine Wirkung bei dem in unfern Gegenden sonst raren Fieber, Assodes genannt, thaten, die

Kran-

^{r)} Institut. Mat. Med. p. 491.

^{s)} Mat. Med. cap. 8. §. II. p. 558.

F

Kranken doch beyde erhalten würden. Plura de hoc apud
BAGLIVIVM^t) legi merentur.

§. XXVII.

Antidota denique, quorum ope actioni cantharidum ad vias
vrinarias optime potest resisti, sunt omnia oleosa, mucilaginosa
tam interne assumta, quam externe per vrethram iniecta, emul-
siones refrigerantes, camphorata, medicamenta spasmos excita-
tos sopientia, et quod miror, remedium nuperime inventum
valdeque laudatum, Nesseltuch dictum, quod externe vesicatorio
admoto super imponitur, et quam diu vesicatorium agere
debet, intactum relinquitur.



NON

PICA

DE
Y E S S C A T O R I Z S
 • EORVMQVE
 SALVRI ET NOXIO VSV
 IN
 M E D E N D I S M O R B I S

C O N T E N T U M
 INCLITI MED
 IN REGIA
 PRO GRAD
 SVMMISQVE IN
 AC PI
 SOLEMNI RI
 B. XXVI. NOV.
 P V B L I C E
 PHILIPPVS LVD
 V L M A

HALAE
 STANNIS FRIDER

